



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

cix. De tineis siue lumbricis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

recenter occisi fasiani, vel menta tunsa cum carne accipitri obiecta.

De tineis siue lumbricis.

His signis cognosces, an tineas habeat accipiter. insistens perticæ, cum volare cupit, alas suas impeditas habet, & tanquam si nervos distortos haberet, tremit, & pedum modo hunc, modo illum porrigit, siue in pertica maneat, seu manu aucupis gestetur, & pinnas suas vellicat, nunc eas quæ sunt in pectore, nunc illas, quæ sunt in femoribus: in summa neque in manu aucupis, neque in pertica insistit. Ita curabis. Carpobalsami grana tria, ceruinam medullam, vrticæ pauca semina, & nigellæ tantundem. vnà simul omnia læuigata contundito, cum helxine prius arefacta & mista da accipitri cum carne perdicis: aut si huius non sit facultas, cum carne gallinæ vernaculæ, & ita vel per os, vel per sedem tineas educes. Accipiter tineis afflictus, frequēti volatu vtitur. Ipsum refeceris, si cum pastillo piper ipsi dederis edendum. Idem præstabit cerui medulla, & geponomum in puluere redacta cum carne data. Nec minus efficax est sesami & papaueris

papaueris æquum pondus in puluerem re-
 ductū, si his insperferis staeten quercinam,
 & carni miscueris, & dederis accipitri ede-
 re. Aut si aloë pura & munda læuigata ani-
 mantem perfuderis ex posca. Sunt qui allij
 succum expressum cum omphacino oleo
 pari mensura mistum infundant.

Remedium ad intestinum.

EX intestino laborare se ostendit acci-
 piter, cum pedibus sæpe stringit ma-
 num gestantis, & pedibus cædit perticam,
 cui insistit. Quidam censent sandaracham
 cum carne calida & butyro dandam. Alij
 verò, si omnia viscera simul cum intestinis
 doleant, vini Aminei, & rutæ tritæ, sin-
 gulorum ligulam dandam existimant.

*Quomodo calculosi cognoscantur, & qua
 ex causa calculi oriantur.*

GENERARI lapis in visceribus solet, cum
 accipiter carnibus vescitur pinguibus,
 aut male olentibus, aut multis expletur.
 Ardeolarum caro calclos gignit. Laborare
 calculis primum cognoscitur, cum diffi-
 culter ventrem deijcit, deinde deprehen-
 ditur ex stercore eiecto, quod emissum

L